S. D. N

D. CLEMENTIS

DIVINA PROVIDENTIA PAPAE OCTAVI

DECRETALES LITERAE

QVIBVS BEATVS RAYMVNDVS A PEÑIAFORT Barcinonensis Ordinis Prædicatorum in Sanctorum Catalogum adscribitur, ac decernitur, vt ab vniuersali Ecclesia vti Sanctus colatur, illiusq. Festum, & Officium sicut pro vno Confessore non Pontifice ad formam in Rubricis Romani Breuiarij præscriptam anno quolibet, die septima Ianuarij celebretur cum Indulgentiarum elargitione.



ROMAE, Apud Typographos Camerales. 1601.

CLEMENS. EPISCOPVS SERVVS. SERVORVM. DEI

AD. PERPETVAM. REI. MEMORIAM



Omana Catholica Ecclesia, quæ supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu ædificata, diuinitus à Spiritu sancto regitur, & ineffabili eius æternæ sapientiæ prouidentia mirabiliter gubernatur, in eadem vnitate fidei, & doctrinæ veritate, quam à Christo suo sponso, & Apostolis accepit, perpetua consensione perseuerans, à Deo Patre misericordiarum continuis gratiæ cælestis benedictionibus cumulatur, ac veluti fæcunda mater multiplici sanctorum prole aucta eorumdem meritis, ac virtutibus illustratur. Atq; hanc fidei Catholicæ vnitatem vnus, idemq; spiritus per multas gratiarum diuisiones in corpore Christi, cuius nos membra sumus, anteà operatus est, & nunc etiam operatur. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, qui vnum Dominum, vnam fidem, vnum baptisma prædicarunt, ac veritatem facientes in charitate, creuerunt in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum, & connexum est per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensuram vniuscuiusq; membri. Præcipua verò huius mystici corporis membra sunt viri sancti, quos elegit Deus, & prædestinauit in vitam, qui eandem fidem semper tenuerunt, & pro eius defensione legitimè certantes adepti sunt repromissiones, & in cælis coronari meruerunt. Huius autem fidei vnitatem, in qua vnum corpus in vno spiritu efficimur, iam inde ab ipsius Ecclesiæ nascentis initio ad hæc vsq; tempora Principes, & potestates tenebrarum multis hæresum procellis, ac turbinibus excitatis labefactare, & conuellere tentarunt; sed diuina Christi sapientia, qua Ecclesiam suam supra firmam petram fundauit, aduersus quam portæ inferi præualere nunquam poterunt, potenti sua dextera eam semper defendit, & vsq; ad consummationem seculi conseruabit. Atq; in hoc admirabilis Dei prouidentia maximè elucet, quòd omnium penè seculorum ætatibus, & ijs præcipuè temporibus, quibus religio Catholica Tyrannorum atrocitate, & hæreticorum perfidia impugnata est, inuictos martyres, athletas fortissimos, gloriosos confessores, & viros sanctos, magnos in virtute, ac prudentia præditos, aduersus Tyrannorum sæuitiam, atq; hæreticorum iniquitatem excitarit, qui suo sanguine fidem Christianam decoratam, ac vitæ integritate, doctrinis, virtutibus, & miraculis confirmatam latissimè propagarunt. Ac superioribus quidem seculis ex gloriosi Patris Sancti Dominici familia Beatus Raymundus à Peniafort Barcinonensis extitit, qui amator veræ sapientiæ, quæ nunquam marcescit, spretis omnibus mundi diuitijs, diues factus est in gratia Dei, quæ data est in Christo Iesu in omni verbo, & scientia, diues in humilitate, & virtute, diues in bonis operibus, in quo deniq; Deus ostendit abundantes diuitias gratiæ, & gloriæ suæ. Nam vocauit eum in partem sortis Sanctorum, & impleuit agnitione voluntatis suæ, in omni sapientia, & intellectu spirituali, ita vt plenus Spiritu sancto, & fide in medio Regum, & Magnatorum sapientiam loqueretur, non sapientiam huius seculi, neq; Principum huius seculi, qui destruuntur, sed Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est à sapientibus huius mundi, & reuelata paruulis: nimirum verus Dei minister in paupertate, in omni patientia, in orationibus, in laboribus Dei gloriam quærens, ac mysterium fidei in conscientia pura fidelibus, & infidelibus summa charitate patefaciens, permultos in cæcitate cordis à via salutis aberrantes, verbo veritatis, & innocentia vitæ in rectam mandatorum Dei semitam traduxit, & aduersus hæreticorum impetum, & audaciam se tanquam murum fortissimum, & inexpugnabilem opposuit. Insuper Deus, qui est mirabilis in sanctis suis, dedit ei gratiam curationum, ac sanctitatem eius, in virtute Spiritus sancti, per signa & prodigia, cùm in eius vita, tum post obitum ita manifestauit, vt eius gloria per amplissima Hispaniarum regna permanarit. Hæc enim est summa Dei benignitas, qua sanctos suos, qui in contemptione honorum, in omni rerum humanarum despicientia, & in cruce Christi Domini Nostri gloriantes in hac vita eius laudem, & honorem amplificarunt, nunc eosdem glorificans, à quibus ipse honorificatus est, veluti quadam vicissitudine honoris, omnium bonorum felicitate in cælis remunerat, & tribuit eis nomen sempiternum, quod nunquam interibit. Quamobrem ad eorum virtutes imitandas vehementer incitari debemus, cum huiusmodi homines auersos ab honoribus, in tribulationibus, in angustijs tantam adeptos esse gloriam videamus, vt sua tenuitate, & humilitate omnium Regum amplitudinem, omnem huius mundi existimationem, & dignitatem lõgè superarint. Nam diuersæ sunt viæ Dei à vijs hominum, qui in vanis cogitationibus, & curis inanibus occupati loquuntur sublimia gloriantes; Deus autem sedes Ducum superborum destruxit, & cessare

Ephes. 2. 2. Cor. 1. 1. Cor. 12. Ephes. 4. Ephes. 4. Rom. 8. 2. Timoth. 2. Hebr. 11. 1. Cor. 12. Ephes. 6. Matth. 7. Matth. 16. Matth. 28. Ecclesiast. 44. Sap. 6. 1. Corinth. 1. Iacob 1. 1. Tim. 6. Ephes. 2. Colos. 1. Act. 1. 6. Eccl. 39. 1. Cor. 2. Matth. 11. 2. Corinth. 6. 1. Timoth. 3. Psal. 118. Psal. 67. 1. Cor. 12. Rom. 15. Galat. 6. 1. Reg. 2. Isa. 56. 2. Cor. 6. Isa. 55.

1. Reg. 2. Eccle. 10.
ſare fecit memoriam eorum à terra, memoriam verò humilium ſenſu reliquit, & maximis honoribus, ampliſſimiſq; monumentis cõſecrauit. Quarè Beatum Raymundum meritò laudamus, & Deum in eo benedicimus, qui ſingularibus gratiarum donis, & ſummis virtutibus eum ornauit; de cuius vita, morum ſanctimonia, fidei puritate, & admirabilium ſignorum multitudine pauca ſolum ad communem totius Eccleſiæ vtilitatem proponimus, vt omnes intelligant quibus tandem ille gradibus in cælum aſcenderit, ac Deo gratias immortales agant, eius nomen in Eccleſia Dei publico hoc noſtro, & Sedis Apoſtolicæ decreto, numero Sanctorum fuiſſe adſcriptum.

Beati Raymundi à Peniafort origo.

Beatus Raymundus Barcinonenſis ex nobili familia de Peniafort originem duxit. Prima in pueritia religionis Chriſtianæ rudimentis imbutus iam magnum aliquid portendere videbatur, cum eſſet eximia corporis, & animi indole, & naturæ quodam inſtinctu ad virtutem, & pietatem in dies magis propenderet.

Studium.

Progreſſus in litteris

Adoleſcens humaniores literas tam auidè arripuit, vt exiguo tempore maximos progreſſus fecerit, & eas artes, quas planè didicerat, Deo adiuuante, ſumma cum laude plurimos Barcinone gratis docuerit.

Matth. 25.

Beatus Raymundus Bononiam proficiſcitur.

Atq; vt è talentis ſibi à Domino concreditis lucrum faceret ampliſſimum, Bononiam, velut ad commune bonarum artium domicilium, & diſciplinarum emporium profectus eſt, vbi tempus ſibi ad negotiationem ſapientiæ datum non inſumpſit in vanis, & carnalibus deſiderijs, quibus ætas

Prou. 31. 1. Pet. 2.

illa iuuenilis à ſtudio virtutis abripi ſæpè ſolet, ſed pietatis officijs, ac Pontificio, ciuiliq; iuri toto pe-

Creatur doctor.

ctore incubuit, ac tandem Doctoris laurea, cæteriſq; doctrinæ inſignibus decoratus, ſacros Canones

Publicè docet canones.

publicè magna cum hominum admiratione abſq; vllo ſtipendio eſt interpretatus; cui poſteà cum Sena-

Leuit. 27.

tus Bononienſis ob præclaram eius eruditionem honorarium ex ære publico decreuiſſet, ipſe labores ſuos Domino ſanctificans, datæ ſibi à ſenatu pecuniæ, omniumq; rerum, quas ſua induſtria comparaſſet, Deo in primis, ac ſuo Parocho Decimas fideliter offerebat. Quo in munere docendi cum aliquot annis egregiam nauaſſet operam, & iam eius eruditionis fama per Italiam increbuiſſet, Berengarius Barcinonenſis Epiſcopus eius virtutibus, ac ſcientia permotus, Roma ſuam ad eccleſiam rediens Bononiam iter inſtituit, vbi Beatum Raymundum conuenit, ac multis vltrò, citròq; ſermonibus habitis,

Redit Barcinonem.

Berengarius virum admiratus, ac ſecum ipſe reputans eum ingenti Eccleſiæ ſuæ ornamento, & vtilitati

Creatur canonicus Barcinonenſis.

futurum, vehementer inſtitit, vt ſecum ad eccleſiam Barcinonenſem, vbi educatus fuerat, reuerteretur, quod tandem magnis ab eo precibus obtinuit, quem etiam aliquantò poſt eiuſdem Eccleſiæ Canonicatu, & quadam Præpoſitura addita ornauit. Hoc beneficio, & dignitate auctus, omnibus Canonicis, & vniuerſo illius ciuitatis populo integritatis, ac doctrinæ ſplendore præfulgebat, eratq; tanta eius in omni geſtu, motuq; corporis modeſtia, & totius vitæ conſuetudine ſuauitas, vt omnium ætatum, atq;

Annunciationis Beatæ Mariæ feſtũ ſolemniter celebrari curat

ordinum homines in amorem ſui raperet, & admirationem. Deiparam Virginem ſingulari pietatis affectu venerabatur, eiusq; honorem, & cultum pro viribus ſemper auxit. Nam cum feſtus Annunciationis eiuſdem Virginis dies ea in Eccleſia minus celebris haberetur, ipſe ab Epiſcopo, & Capitulo impetrauit, vt duplici ritu ſolemniter perpetuo coleretur, atq; ex Præpoſituræ ſuæ redditibus cenſum annuum attribuit Canonicis in diſtributiones erogandum, qui ſacris officijs eo die intereſſent.

Magna fuit apud omnes Beati Raymundi auctoritas, & ſanctitatis opinio.

Iſai. 40.

Magnam hac ratione apud omnes auctoritatem, & ſanctitatis opinionem ſibi conciliarat, totiusq; ciuitatis oculos, animosq; omnium, ac præcipuè Prælatorum, & Principum in ſe conuerterat, cum inanem mundi gloriam inſtar fœni areſcentis decuſſo flore marceſcentem apud ſe ipſe contemnens, ad ſublimiorem vitæ ſtatum aſpiraret. Venerant tunc in eam vrbem recenter Fratres Ordinis Prædicatorũ, qui Apoſtolicum in morem Euangelio Chriſti prædicando populum docebant, & ad cultum Dei, ſtudiumq; pietatis incitabant, quorum vſu, & conſuetudine primùm delectari Beatus Raymundus; deinde etiam ad idem vitæ inſtitutum amplectendum vehementer cæpit inflammari; neq; anceps ea, difficiliſuè cogitatio fuit; Nam inclinatum eius animum, & in via ſalutis ambulantem ſpecioſi illi pedes euan-

Rom. 10.

gelizantium pacem in montem Domini, perfectionis nimirum Euangelicæ apicem facilè deduxerunt.

Pſal. 54.

Ordinem Fratrum Prædicatorum ingreditur; et in eo profeſſionem emittit.

Itaq; iam matura ætate annum circiter quintum ſupra quadrageſimum agens, abdicatis honoribus, ſpretiſq; omnibus diuitijs, aſſumpſit pennas, vt columbæ, atq; in requiem Domini euolans, in ordine Fratrum Prædicatorum ſolemnem profeſſionem emiſit, Quod vt omnibus admirationi fuit hominem genere nobilem doctrina præſtantem, affluentem bonis, dignitate, & fama celebrem, ſuſcepto religioſæ vitæ inſtituto, ſpontaneam paupertatem opibus, ſuiq; contemptum honoribus, & commodis prætuliſſe; ita eius exemplo complures literati, ac ſtudijs, doctriniſq; dediti nobiles viri eundem Ordinem ſunt amplexi, ac propterea magnum ea religio in dicta ciuitate ſuſ-

Marc. 12. 1. Cor. 3.

Præcipuas Religioſorum virtutes amplectitur.

cepit incrementum. Hic iam nouus Chriſti miles aduerſus humani generis hoſtem fortiter dimicare apud ſe ſtatuens, ac turrim æternæ ſalutis ædificans, vt ſapiens architectus, humilitatis religioſæ, quæ cæterarum eſt parens, cuſtoſq; virtutum, fundamenta iacere decreuit. Itaq; etſi omnibus eruditione, & prudentia antecellebat, hoc tamen ipſo demiſſius ſentire de ſe, alijs omnia, ſibi nihil

tribuere,

tribuere, singulos honore debito prosequi, deniq; libentius delitescere, q̃ in lucẽ prodire consueuerat, cuius ille virtutis tenacissimus in omni vita fuit: & quoniã obedientia humilitatis vita est, ad hãc tuendã, atq; conseruandã exẽplo mediatoris, & Saluatoris Domini Nostri Iesu Christi, qui humiliauit semetipsum factus obediens vsq; ad mortẽ, vir iustus die, ac nocte meditabatur obedientiam, ac sepulto proprię voluntatis arbitrio, mortuus huic sæculo vitã cũ Christo in Deo absconderat, ac totus à superiorũ nutu pendebat. Beatam paupertatem regni cælorũ pręmio dignã, & Christi ore laudatã toto pectore amplexus est, ac eã veluti fraternæ pacis fundamẽtũ, munditiã vitæ, curarũ huius mundi abdicationẽ, proximam deniq;, & quasi compẽdiariam ad Deum viam studiosissimè semper coluit, ac semetipsum, tanq̃ aurum igni probatum in camino paupertatis expurgabat. Castitatis, quæ cælestis, & Angelicus thesaurus est, amantissimus fuit, ac præcinctus lumbos, & lucernã boni operis in manibus habens, eã in fictili corporis sui vase in sanctificatione, & honore portãs, incorruptã, & integrã vsq; ad extremum vitæ diem cõseruauit, & qua erat in Dei matrem, & intemeratam Virginem Mariam pietate, in cuius fidem, & clientelam se iãdiu antè contulerat, nullum firmius ad Dœmonis vires conterendas, quàm eiusdem Virginis præsidium inueniri posse certum, exploratumq; habens, eius patrocinium assiduè inuocabat, ac tantus erat eius in oratione feruor, & perseuerãtia, vt ex varijs occupationibus se ipse frequenter colligens sederet solitarius, & leuans se super se diuinæ contẽplationi vacaret, in qua cælestes planè spiritus hauriebat, & de fontibus Saluatoris aquas sapientiæ salutaris accipiens, tanto gratiarum imbre omnes vitæ suæ actiones irrigabat, vt flumina aquæ viuæ de ventre eius in aliorum vtilitatem promanarent.

Humilitatis fuit tenacissimus. *Climach. gradu. 4.* *1. Timot. Philipp. 2.* *Prou. 15.* *Coloss. 3.* *Paupertatẽ toto pectore amplexus est.* *Climach. gradu. 17.* *Isai 48. 2. Cor. 4.* *Castitatis amantissimus fuit.* *1. Pet. 1. Luc. 12.* *2. Cor. 4. 1. Thessal.* *Dei Matrem intemeratam Virg. Mariam assiduè inuocabat.* *Thren. 3.* *Isai. 12.* *Ioan. 7.*

In pauperes, ac pręcipuè captiuos dura seruitute ab infidelibus detẽtos propẽnsissimus erat, nullũq; officij genus vnquã prętermisit, quo eos liberari posse existimaret, quorũ hoc ẽt maiorẽ curã, & solicitudinẽ gerẽdã esse cẽsebat, quò in grauiori periculo Christianę fidei abiurãdę, & amittẽdę salutis ęternę versarẽtur. Cũ itaq; eius hortatu Petrus Nolascus natione Gallus, cuius cõfessiones Beatus Raymũdus audiebat, vir opibus florens, & insigni pietate pręditus, ad inopes alẽdos, & maximè ad captiuos ex Barbarorũ vinculis redimẽdos, suas copias, & opes magna cũ alacritate ac libenti animo cõferret, egregium pij, ac liberalis animi officium pro sua infinita bonitate gratum Deus habuit. Nam proxima nocte insequẽte Beatissima Virgo Dei mater eidem Petro, qui sanctis meditationibus, & orationi vacãs cogitabat, qua ratione calamitatibus Christianorum in captiuitate degentium succurri posset serena frõte se conspiciendam dedit, & acceptissimum sibi, ac vnigenito suo filio fore dixit, si suum in honorẽ institueretur ordo religiosorum, quibus cura incumberet captiuos è tyrannide Turcarum liberandi, ac illa ipsa nocte eadem Virgo Sanctissima Beato Raymundo, & Iacobo primo Aragoniæ Regi apparuit, id ipsum de religiosis admonens. Quare hi collatis inter se consilijs, & consentientibus animis ordinem B. Mariæ de Misericordia, seu de Mercede redemptionis captiuorum fundauerunt, cui Beatus Raymũdus certas viuendi leges præscripsit ad istius ordinis vocationem accommodatissimas, quarum approbationem aliquot annis post à fel. rec. Gregorio IX. prædecessore nostro impetrauit, & dictum Petrũ, qui eidem ordini omnia sua prõptè dederat, primum etiam Generalem Ordinis Magistrum suis ipse manibus habitu eodem indutum creauit.

Pauperũ & captiuorum pracipuè curam gerebat. *Ordinis Redemptionis Captiuorũ statuta & leges edidit, et primum Magistrum generalem creauit.*

Hæc Beatus Raymundus, quæ ad vnius Dei gloriam, & proximi vtilitatem gesserat, etsi occultissima esse volebat, tamen ardentem illius in egenos charitatem, & vitę sãctimoniam iam vbique fama vulgauerat, & sanctæ eius doctrinæ odorem manifestabat in omni loco. Quamobrem bo. me. Ioannes Cardinalis Episcopus Sabinen. eruditionis, & pietatis laude clarissimus ab eodem Gregorio IX. prædecessore nostro in Hispaniam ad crucem aduersus Saracenos prædicandam, aliaq; Sedis Apostolicæ negotia pertractanda Legatus de latere missus multorum sermonibus singularem eius integritatem intelligẽs, eum sibi legationis accepit adiutorem.

Cũ Ioanne Cardinali Episcopo Sabinensi in Hispaniam proficiscitur.

Quo in munere Beatus Raymundus tanta cum prudentia, tanta humilitate, & charitate versatus est, vt omnibus esset bonus odor Christi ad vitam. Nam etsi honestissimo loco natus esset, & iã ætate prouectus, multisq; virtutibus cumulatus magna apud omnes auctoritate polleret; in hoc tamen lõginquo, & difficillimo itinere nullis vnquã ab eo precibus obtineri potuit, vt equo veheretur, sed verus Christi discipulus calceatus pedes in præparationem Euangelij pacis, & assumpto spiritus gladio, quod est verbum Dei, iter suis comitatus socijs pedibus faciebat, & Cardinalem, quò erat venturus præuertens, quasi viam antè faciem eius in benedictione pręparans, Euãgelio Christi prædicando permultos, adiuuante Domino, ad arctam salutis semitam à via lata, & spatiosa traducebat, & confessiones audiendo, à censuris, & à peccatorum nexibus liberabat. Quodq; omnibus mirum fuit, toto illo itinere nihil vnquã de solita ciborũ abstinentia, vigilijs, ieiunijs, precationibus, totiusq; religionis seueritate remisit, sed ob-

2. Cor. 2. *Ephes. 6.* *Luc. 1.*

 seruan-

seruantißimus constitutionem sui ordinis,ne latum quidem vnguem ab illius statutis, & legibus discedebat.Quare suspiciebant ipsum vniuersi,colebant omnes,Ioannes Cardinalis sũmoperè diligebat,qui perfunctus legatione ad Vrbem rediens,cum Beatum Raymundum vna secũ adducere decreuisset, nũquam id tamen ab eo potuit impetrare,sed cum ad eundem Gregorium IX. prędecessorem nostrum,de rebus legationis referret,tam multa,eaq; præclara de huius Beati viri virtutibus dixit, vt idem Gregorius prædecessor illius videndi desiderio incensus, eum ad se cõfestim euocarit,cuius ille dicto audiens, quanquam religiosæ quietis auidißimus, Romam venit.

A Gregorio IX. vocatus Romam venit.

Ab eodem Gregorio Capellanus & Pœnitētiarius cõstituitur.

Excepit eũ amãter,& benignè prędictus Gregorius prædecessor,ac breui perspectis,& exploratis eius animi dotibus,sũmisq; virtutibus,Capellani sui officio,quod tunc tẽporis idẽ erat, quod nunc est causarum Palatij Apostolici Auditorum,& Pœnitentiarij dignitate ornauit,ac tanti semper fecit, vt non nisi adhibito eius consilio grauiores causas tractaret, quem cum etiam à sacris sibi confessionibus præfecisset,is,qua erat in egenos charitate,pænitentiæ loco illi iniungebat,vt inopum preces , & iustas petitiones statim audiret,eorumq; negotia expediret,& quàm citißimè conficeret;quare ab eodem Gregorio prædecessore Pater pauperum est appellatus. Decreta Romanorum Pontificum , quo quæq; tẽpore cõdita erant , diuersis in Epistolis , & Concilijs sparsa, quæ obscuritatem,& incertitudinem inducere videbantur,ad communem omnium,& maximè studentium vtilitatem, in ordinem , & compendium redigi iamdiu omnibus ferè placuerat,sed tanto operi vir idoneus quærebatur.Itaq; Gregorius prædecessor Beatum Raymundum huic muneri aptißimum esse ratus,id oneris ei imposuit , quod tandẽ ipse ingenti labore trium annorum spatio feliciter absoluit, quemadmodũ in ipso Decretaliũ prooemio grauißimo eiusdem Gregorij testimonio est comprobatum.

Pater pauperum appellatur.

Decretales in ordinẽ redigit.

Hisce lucubrationibus,& asiduo humilitatis studio, quãdiu Romæ vixit,contra otiosam mentis euagationem,& inanis gloriæ cupiditatem se ipse tuebatur diligentißimè : Quare oblatos etiam honores , & amplißimas Ecclesiarum Cathedras omni conatu repudiauit. Nam cum Gregorius Archiepiscopatũ Tarraconensem ei deferre decreuisset,id ille adeò grauiter,& molestè tulit,vt illicò febri correptus aliquot dies ingenti corporis,animiq; dolore torqueretur. Itaq; ab huius mundi gloria alienißimus omni ope contendit,vt eam à se dignitatem auerteret,quod cum per se non posset,adhibitis multorum precibus,& quorundam Cardinalium auctoritate,eiusdem Gregorij prædecessoris animum ita inflexit , vt illius Ecclesiæ onus in eum transtulerit,quem ei muneri Beatus Raymundus aptißimum esse iudicauit. Hac difficultate perfunctus exultabat in Domino,ac veluti suo iuri redditus, gratijs Deo peractis,ad solitos labores sese contulit,quorum tandem magnitudine, & diuturnitate cõfectus, in tam grauem morbum incidit,vt illi certam mortem medici denunciarent,nisi patrium solum repeteret.Itaq; dimisso cõfessarij eiusdem Gregorij prædecessoris munere,& obtenta abeundi facultate Barcinonem redijt,atque ita redijt,vt eum animi candorem ab omni ambitionis labe intactum,& illæsum , quo imbutus ad Vrbẽ venerat , in patriam reportarit.

Archiepiscopatum Tarraconensem recusat.

Barcinonem redit.

1. Cor. 12.

B. Raymundo data gratia sanitatum & operatio virtutum.

Vix ab Vrbe recesserat,cum statim ei diuinitus per spiritum data est gratia sanitatum , atq; operatio virtutum. Nam cum ad eum Cathalonię portũ, quem Tossa vocãt,appulisset,aduectum ad se leui cymba quendam eius loci incolam,Barcelo de Faro nuncupatum(qui dum in messem incumberet,adeò graui,& repẽtino correptus erat morbo,vt statim omnibus orbatus sensibus,nullos neq; clamores,neq; admotos corpori stimulos perciperet, sed humi iacens exanimis, mortuus esse crederetur) Beatus vir miseratus, Deum,qui diues est in misericordia,ardentißimè est deprecatus,vt ei vitã,quæ satis esset ad cõfitendum peccata,produceret:tum magna in Deum fide nixus infirmum proprio cõpellans nomine rogauit,an vellet peccatorum sordes sacra cõfessiones diluere, cõfestim ille velut è sõmno excitatus oculos sustulit,receptoq; vocis vsu,id velle se,ac vehementer optare dixit,& confessione facta, atq; exonerata peccatorum conscientia,perceptaq; absolutione nihil amplius elocutus spiritum Deo reddidit. Id circumstantes admirati glorificauerunt Deum, quòd talẽ hominibus dedisset potestatem.

Ephes. 2.

Barcelo de Faro semimortuus B. Raymũdi precibus vitam quæ satis fuit ad confitendum peccata obtinuit.

Matth. 9.

Atq; vbi Barcinonẽ appulit, confirmatis paulũ viribus,statim ad res diuinas,& cælestes contẽplandas animũ adiecit. Eius verò Barcinonẽ aduentus simulatq; per Hispaniã innotuit, ingẽs hominũ concursus ad eum fieri cœptus est,partim visendi gratia,partim consulendi(nam Pœnitentiarij potestatem cõcessu eiusdem Gregorij,etiam ab Vrbe absens exercebat)quos omnes cõsolabatur in Domino, & spiritualibus monitis mirificè recreabat,eius enim scientia, quasi inundatio in omnibus abundabat , & cõsilium eius,sicut fons vitæ salutem animæ plurimis afferebat.Hac autem Pœnitentiarij potestate, quo liberius Deo,sibiq; vacaret, spontè se abdicauit,quamquam eius etiam absentis opera idẽ Gregorius prædecessor, cæteriq; Romani Pontifices, qui eum sequuti sunt prædecessores item nostri vtebantur , vt ex ipsorum literis facilè constat,quibus ei grauißima negotia committebant. Conscripsit etiam summã casuũ con-

Ecclesiast. 21.

B. Raymundus Pœnitentiarij munere quo etiam absens ab Vrbe fungebatur spontè se abdicauit.

conſcientiæ,qui ſolent in foro pænitentiæ frequenter occurrere,magnæ doctrinę,atq; auctoritatis,& tã confeſſarijs , quam confitentibus valdè vtilem , & neceſſariam.

Dum ſacris,& ſuauibus hiſce ſtudijs,& iuuãdi proximi occupationibus diſtinetur, anno humanæ ſalutis milleſimo ducentiſimo trigeſimo octauo Iordanus eiuſdem Ordinis ſecundus Generalis magiſter, ex hac vita exceſsit. Quare nouo Generali magiſtro deligendo Capitulum Generale Bononiæ eſt congregatum, vbi cum diſſidentibus ſententijs non ſatis Patribus inter ſe conueniret, ad Sancti Dominici corpus preces indictæ ſunt,atq; indè ad ſuffragia ventũ,quibus omnibus,nullo penitus refragante, Beatus Raymũdus abſens Generalis magiſter eſt declaratus, cuius ille rei nũcio perculſus, atq; animo perturbatus primũ repugnare vehemẽter cępit;ſed prouectioribus ætate, ac ſapiẽtia Patribus Bononia Barcinonem aduentantibus,qui eam omnium,& Dei voluntatem eſſe confirmarunt,ægrè tandem acquieuit,ac magiſtratũ inijt. Itaq; aliorum precibus,& auctoritate victus animum ad regendam eam familiã adiecit,quam cum integro biennio ſanctiſsimè,& magna cum laude adminiſtraſſet,facto,ipſo poſtulãte ſuperiore anno, ex communi Patrum ſentẽtia decreto, vt liceret Magiſtro Generali officium magiſterij renunciare,proximo inſequente Capitulo Bononiæ item habito affectam ætatem, infirmamq; valetudinem incuſans,priſtinæ nimirum quietis,vitæq; priuatæ auidiſsimus, Magiſtratu mærentibus omnibus ſpontè ſe abdicauit,quo veluti onere depoſito,lætus,& alacer ad conſuetas pietatis exercitationes, & proximi ad virtutem incitandi ſtudium ſe quàm diligẽtiſsimè retulit, ac nihil vnquam antiquius habuit,quàm vt religionẽ Catholicã longè,latèq; propagaret,& pro viribus ab hæreſum labe vindicaret.

Magiſter Generalis Ordinis Prædicatorum abſens Bononia declaratur.

Biennio elapſo Magiſtratu ſponte ſe abdicauit.

Quamobrem cla. me. Iacobo Regi Aragoniæ eius nominis primo in primis ſuaſit,vt ſacrum Inquiſitionis officiũ ſuis in Regnis inſtitueret, ad hæreſim, videlicet, quæ tunc ex nefaria Valdenſium ſecta recenter exorta erat , omneſq; alias procul à finibus eius Regni arcendas, atq; hanc ob cauſam Concilio Prouinciali Tarracone aduerſus eoſdem ſectarios habito , iuſſu ipſius Iacobi Regis interfuit.

Iacobo I. Regi Arag. vt officium Inquiſitionis in ſuis regnis inſtitueret, ſuaſit.

Sub idem verò tẽpus Saraceni, qui nobiliſsimas Hiſpaniæ Ciuitates,& finitimas inſulas impia ſui generis ſtirpe multò antè infecerant,armata manu vehementer ẽt infeſtabant,quibus vt in ſuis regnis Euãgeliũ Chriſti prædicaretur,eidem Iacobo Regi auctor fuit. Hunc etiam ad maiorem inſulam ex Balearibus proficiſcentem eius rogatu comitatus eſt,tum vt ei à ſacris confeſsionibus eſſet, tum etiã , vt verbo Dei prædicando, fideiq; Catholicæ myſterijs explicandis, Hebræos,& Agarenos , qui ibidẽ magno numero erant,ad Chriſtianã religionẽ adduceret;vbi cũ idẽ Iacobus Rex veſano amore captus cuiuſdã fœminæ cõſuetudine vteretur, Beatus Raymundus,qua erat dicẽdi libertate,ac prudentia, illũ blando primù n ſermone ab ea conatus eſt reuocare;verùm vbi ſe nihil proficere animaduertit, tum orare , proq; ſua in Deum fide precibus omnibus cœpit obteſtari , ne ob exiguam corporis voluptatem malè ſe ipsũ perderet:ſed neq; preces quidquam profuere. Hic tũ Beatus Raymũdus animi dubius,& incertus,quò ſe verteret,conſulto tandem precibus diuino numine, ſtatuit nihil grauius ſibi faciendũ,quàm vt ex inſula diſcederet,ne libidinẽ eiuſdẽ Iacobi Regis,quã ferre amplius nõ poterat, ꝓbare ſua pręſẽtia videretur. Itaq; eũ adijt,ſerioq; ac ſeuerè admonitũ ſuæ volũtatis certiorẽ fecit; Iacobus vero Rex eius apud ſe retinẽdi cupidus, nautas omnes præmoneri iuſſit,atq; capitali edicto prohiberi, ne vllus eum traijceret. Interim ignarus huiuſce conſilij B. Raymũdus in portũ perrexit,vbi ab omnibus nauiculatoribus cõmuni cõſenſu reiectus,cognita Iacobi Regis voluntate,in portũ Sollar profectus eſt,itineris ſui comiti hoc vnũ firmiſsimè aſſeuerans ibi æternum Regem ſibi non defuturum ; at cum neq; in eo portu à nautis admitteretur,id ſecum ipſe demiratus,hoc magna fide pronunciauit,Regem quidem mortalẽ ita ſtatuiſſe, ſed Regem ęternum aliter prouiſurum. Itaq; omnibus in litore ſalutatis,per quaſdam rupes,& prærupta ſaxa in mare porrecta aliquantulum progreſſus in mare deſcẽdit,ac ſocium allocutus,videbis,inquit,quemadmodum Deus optimam nauem prouidebit. Quare fiduciæ plenus,expãſo ſuper aquis pallio , reductaq; eius ora inſtar veli ad baculum,quo tanquam malo vteretur, Dei opem inuocãs,ac ſigno Crucis ſe muniens,relicto in inſula ſuo modicæ fidei, ac dubitante ſocio, mari ſe commiſit, ac leni , proſperoq; inflante vento, perambulans ſemitas maris,ac benedicens Deum,qui dominatur poteſtati eius, centũ ſexaginta milliaria ſex horis confecit,omnibuſq; circum litora inſolitum nauigandi genus admirantibus, Barcinonem appulit,vbi reſumpto pallio,quod nè quidem aqua perfuſum erat,ad Monaſterium ſui ordinis ſub meridiem ſe contulit,quodq; non minus admirandum eſt, ianuis clauſis illud ingreſſus,populi acclamationes euitans,ad gratias Deo peragendas in templum ſeceſsit, cuius rei fama totam vrbem, fineſq; illius breui peruaſit. Auxit etiam huius miraculi magnitudinẽ eiuſdem Iacobi Regis emendatio ſubſecuta; extant autem vſq; in hunc diem veſtigia turris, & capellæ eo in loco,ex quo in mare deſcenderat,extructæ,atq; ipſum etiam pallium,vt continuata apud eos populos traditione receptum eſt , cuius contactu multi à varijs corporis infirmitatibus quotidiè liberantur.

Vt Saracenis Euangelium Chriſti prædicaretur eidẽ Iacobo Regi auctor fuit. Vna cũ eodẽ Iacobo Rege ad maiorem Inſulam ex Balearib. ꝓficiſcitur.

Miraculum transfretationis B. Raymũdi.

Matth. 14. Pſal. 8. Pſal. 88.

Expanſo ſuper aquis pallio cẽtum ſexaginta milliaria ſex horis conficiens Barcinonem appulit.

In procurāda Hebræorum,& Saracenorum ſalute magno charitatis ardore ſemper incēſus fuit, omnemq; operam dedit ad eos fidei Chriſtianæ documentis excolendos,ac pro viribus adiuuandos, quòd vt ei facilius eſſet,Seminarium,in quo nonnulli ſui Ordinis religioſi Hebraico, & Arabico ſermone erudirentur,Caſtellæ,& Aragoniæ Regum impenſis inſtituit, quod opus toti Hiſpaniæ ornamento,atq; infidelibus adiumēto fuiſſe ex eo ſatis conſtat,quòd illius ope, atq; auxilio ingens eorū multitudo Chriſtianam religionem amplexa ſit.Neophytos non minori charitate doctrinæ Chriſtianæ pręceptionibus imbuebat,atq; tam aſsiduus erat in illis inſtituendis, vt eorum parens eſſe videretur, & ne alimenta ijs ad vitam neceſſaria deeſſent, vndiq; eleemoſynas corrogabat.

Seminarium in quo ſui ordinis Religioſi Hebraico & Arabico ſermone erudirentur inſtituit.

Neophytorum curam ſuſcepit.

De rebus dubijs ſæpè conſultus,ſingulari prudentia,ac diuina planè ſapientia omnibus reſpondebat, atq; inter cætera beneficia,quæ accepit hoc præcipuè donum à Deo eſt conſecutus,vt eos, quibus cum ageret, mira conſuetudinis ſuæ dulcedine, ac voluptate perfunderet.

Orandi cōtēplandiq. ſummam adeptus eſt facultatem.

Orandi,cōtemplandiq; ſummam diuturno vſu adeptus eſt facultatem;nam etſi varijs,grauibuſq; negotijs diſtineretur;tamen vbi ſe ad orationem compoſuerat,tanta ſubito diuini ſpiritus ſuauitate rapiebatur,vt omnium rerum mortalium cura exutus eſſe videretur, ac ſæpè intempeſta nocte clam obſeruatus eſt in ſecretiori templi receſſu,tam crebra,altaq; ſuſpiria inter orandū edere,vt audientes ad lachrymas commoueret. In diuinis officijs erat aſsiduus,atq; incredibilem pſallendo capiebat voluptatem.

Magna eius fuit i ſacrificando animi puritas, & deuotionis feruor.

Sacroſanctū Miſſæ Sacrificium ferè quotidiè celebrabat;quanta vero eſſet eius in ſacrificando animi puritas,ac deuotionis feruor,vel ex eo facilè exiſtimari poteſt,quod aſtātes ex eius ſolo aſpectu ad orationem incitarentur,ac petita à Deo Patre miſericordiarum beneficia eius precibus impetrarent.

2. Cor. 1.

Fr. Martinus eiuſdē Ordinis cōuerſus ex manibus B.Raymūdi celebrantis et ſacram hoſtiam populo oſtendentis, Chriſtū Dominum ſub pueri ſpecie vidit, & ab oī concupiſcentia carnis praſeruatus fuit.

Nam Frater Martinus eiuſdem ordinis Conuerſus,cum antequam ſuaui ſe Chriſti iugo ſubijceret, voluptatibus carnis liberius indulſiſſet,ac tūc earum rerū, quibus antè aſſueuerat,recordatione, ſuiq; corporis illecebris,quaſi quibuſdam ſtimulis agitatus,mirum in modum vexaretur, omnem huius tētationis propulſandæ ſpem in Beati Raymundi meritis collocauit. Igitur eius ſacrificijs ſæpè intereſſe, ac ſummis precibus à Deo flagitare cœpit,vt tanto ſuo malo remedium aliquod afferret, quod dū perſeueranter peteret,quodam die ex manibus Beati Raymundi celebrantis,ac ſacram hoſtiā populo oſtendentis,Chriſtus Dñs ſub auguſtiſsima pueri ſpecie clariſsima luce radiātis ſpectandum ei ſe præbuit, quo viſo tanto eſt repentè gaudio delibutus, vt ex eo tempore ad extremum vſq; diem, diuina gratia, & bonitate, ab omni concupiſcentiæ carnis commotione fuerit præſeruatus.

B.Raymūdus magna familiaritate vſus eſt cum Angelo.

Cum cęleſtis militiæ Angelo tanta inerat ei familiaritas, & amicitia, quæ maximum eſt puritatis,& ſanctimoniæ argumentum,vt ab eo frequenter ad orandum,à ſomno excitatus inuitaretur.

Totam hebdomadam excepto die Dominico ieiunabat.

Philipp. 3.

Sūma fuit charitate et oīb.virtutib.cumulatus.

Luc. 12.

Matth. 22.

Cibi,potuſq; parciſsimus fuit,totam enim hebdomadam,excepto die Dominico ieiunabat:nullum vnquam in eo cōtumaciæ, vel arrogantiæ veſtigium animaduerti potuit,quin immò lenitate,ac patiētia fuit maxima,& in Deum tanta charitate,vt eius amore omnia arbitratus ſit, vt ſtercora,ex qua etiā egregia illa in proximos charitas redundabat.

Philipp. 1.

Annos ferè centū natus Barcinone obdormiuit in Domino anno 1275.

Omnibus demum virtutibus cumulatiſsimus, deuexa iam ætate, in perpetua quadam erat animi vigilia,expectans Dominum, vt ad cæleſtes nuptias ab eo vocaretur. Igitur annos ferè centū natus cupiens diſſolui, & eſſe cum Chriſto,in lethalem morbum incidit,atq; Sacramentis omnibus ritè munitus,orantibus ad lectulum fratribus,deficiente ſenſim omni vitæ ſenſu,ipſo die Epiphaniæ Barcinonæ obdormiuit in Domino ſalutis humanæ anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quinto.

Alphonſus Caſtellæ et Iacobus Arag. Reges eius exequias ſua præſentia cohoneſtarunt.

Vulgata eius morte ingens hominum concurſus ad Monaſterium videndi cauſa repentè factus eſt, ac tanta fuit eius ſanctitatis apud omnes opinio,vt multi Epiſcopi, complures Prælati,ac nobiles viri, clerus etiam,& populus Barcinonenſis vniuerſus, funus eius ſumma doloris ſignificatione ſint proſecuti: Communem verò illam eius ſanctitatis famam auctoritate ſua magnopere auxerunt, Alphonſus Caſtellæ, & Iacobus Aragoniæ Reges, qui ad eius exequias ſua præſentia cohoneſtandas, comitantibus filijs,ac domeſticis omnibus,ſumma cum veneratione, & fama ſanctitatis beati huius viri conuenerunt.Itaq; corpus eius magno totius Ciuitatis luctu,ac Principū virorum dolore honorificè humatum eſt,quod paucis annis poſt in ſepulchrum marmoreum translatum fuit. Barcinonenſis populus Beato Rymundo vita functo,quaſi totius patriæ lumine extincto,mœrore afflictus grauiter angebatur,atq; ob recentem virtutum eius,ac beneficiorum memoriam eo carere omnibus acerbiſsimum erat; ſed pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis,qui ſecundum multitudinem dolorum, conſolationibus ſuis timentium ſe corda lætificat, Beati Raymundi meritis beneficia in omnes conferēdo plebem ſuam mirificè recreauit. Nam fideliſsimi huius ſerui integritatem,& ſanctimoniam multis quidem in vita miraculis claram, pluribus ſignis poſt obitum ingenti omnium lætitia comprobauit. Atq; vt omnes etiam intelligerent, quam Deo placita eſſet anima eius, eo ipſo tēpore, quo ex hac

2. Cor. 1. Pſal. 93.

Miracula quæ Deus edidit poſt Beati Raymundi obitum.

Sap. 4.

vita

vita migrauit ad Dominum, insigni miraculo est declaratum.

Erat in ea Ciuitate Guillelmus de Villaragut, qui inueterata corporis lepra grauiter laborabat, neque cũ fœditas morbi, dolorisuè acerbitas in publicum prodire, solitasq; exercitationes, & negotia obire patiebatur. Medici adhibitis frustra medicamẽtis omnibus, deplorata re animum desponderãt; ipse verò, Deo ita disponẽte, qui Sanctum suum clarificaturus erat, in ædes quasdam Monasterio ordinis Prædicatorum vicinas, ea ipsa nocte, qua Beatus Raymundus excessit è vita, diuerterat, vbi cum grauissimo elephantiæ dolore torqueretur, à pio quodã viro Bernardo de Molendinis nuncupato, canonico Barcinonensi admonitus est, vt Beati Raymundi, qui eo tempore dormierat in Domino, meritis se commendaret, quod ille recuperandæ valetudinis cupidissimus simulatq; diligenter præstitit, confestim omnis lepra, ex eius membris collapsa est, ac sanum corpus reliquit, in cuius rei signum, & accepti beneficij memoriam idem Guillelmus monumento suspenso in templo, rem omnibus testatam esse voluit, & posteritatis memoriæ commendauit.

Guillelmus de Villaragut precibus beato Raymundo porrectis mundatur à lepra.

Ioan. 13.

Illud verò maximum est eius sanctitatis argumẽtum, quòd mortuos, etiam ad vitam reuocarit. Nã quædam puella Margarita nomine Ioannis Physici filia quatuor, aut circiter annos nata, diuturna febri, continuisq; alui fluxionibus exhausta diem obierat extremum, eamq; verè mortuã esse pallor ipse vultus, contractę nares, oculi extincti, horridi dentes, cæteraq; indicia cõfirmabant, quin & idẽ Ioãnes pater medicæ artis expertissimus asseruit omnia mortis, nulla vitæ vestigia in eius corpore extitisse; honesta interim mulier Romea eiusdem Margaritæ mater, quæ paulòantè ad Beati Raymundi sepulchrũ accesserat, & auxilium ab eo, filiæq; valetudinẽ precabatur, vbi de morte filię certior à Ioãne eius marito facta est, ab eodem sępius domum reuocata fuit, quo illa nuncio perculsa tanto filię recuperandæ desiderio inflammata est, vt neq; inde se abituram, neq; domũ reuersuram affirmaret, nisi Beati huius viri meritis, & intercessione Margarita eius filia vitæ restitueretur; Itaq; lachrymis, ac lamẽtis omnia miscere, & ardentius orationi instare, atq; à Deo, per Beati viri merita summis precibus flagitare cœpit, vt filiam vitæ, sibiq; redderet, cuius perseuerantem firmissima fide orationem respexit Deus, nec spreuit deprecationes eius. Nã sub occasum solis Margarita filia, paulò post meridiem defuncta, non modo vitæ, sed etiam integræ valetudini est penitus restituta, quæ postridie in templũ pedes adijt ad gratias pro tanto beneficio agendas, & decem, & quatuor annos superuixit.

Margarita Ioãnis Physici filia mortua vita restituitur.

Psal. 101.

Altera item honestæ cõditionis fœmina Romea appellata, Michaelis, videlicet de Sala hominis pij vxor Beati Raymundi opem experta est, nam cum maturo iam fœtu acerbissimis pariendi doloribus premeretur, ac infantis caput enixa, reliquo intus recluso corpore, tribus integris diebus, ac noctibus grauissimo cruciatu torqueretur, nihil propius factum est, quàm vt ex hac vita decederet; nam ob languentis stomachi fastidium, cibos omnes, haustusq, respuebat, atq; à sensibus alienata, vocisq; vsu priuata iacebat exanimis, quo tã pręsenti vxoris suæ periculo prædictus Michael vehementer animo cõsternatus ad templum illicò excurrit, Beati Raymundi opem, subsidiumq; implorãs, qui simul ac domum redijt, Romea felicissimè partum edidit, atq; omni dolore est liberata.

Romea Michaelis de Sala vxor partu fœliciter edito acerbissimis parturiendi doloribus liberatur.

Præterea iuuenis quidam cõtinuos viginti dies acutissima febri agitatus, viribusq; exhaustus in superiorem ædium partem à suis delatus fuerat, vt aura puriore frueretur, animũq; relaxaret, quo ex loco deorsum in lapides, & saxa corruens, ita cõuulsus, fractusq; membris fuit, vt immotus humi prostratus ab omnibus mortuus esse putaretur. Eò, vt fit, cum multi videndi, & iuuãdi causa accurrissent, astãtium quidam pulueres ex Beati Raymundi sepulchro desumptos, quos religiosè, ac piè secum gestabat, in iacentis, ac moribundi os iniecit, colloq; appendit, atq; æger ille cõtinuo valetudini est integræ restitutus. Et illa quidẽ, aliaq; quàm plurima multò antè tẽpore contigerunt; hæc verò recẽtiora sũt.

Iuuenis quidam æger integræ valetudini est restitutus.

Anno millesimo quingentesimo octogesimo nono, dum pestilentia Barcinone grassaretur, atq; ingenti hominum clade inualesceret; quidam probus vir Michael Amat appellatus peste mortifera correptus, ac desperata valetudine à medicis destitutus Sacramẽtorũ, atq; extremæ vnctionis susceptione ad mortem se cõparabat, sensim verò per omnia corporis membra serpẽte morbo, in eas redactus erat angustias, vt præclusis faucibus loqui amplius non posset. Quare intimo cordis, & animi affectu B. Raymundum est deprecatus; vt eam à se infirmitatem depelli precibus suis impetraret, qua in oratione Beatum Raymundum sibi videre visus est, atq; extensa manu se contingere, quo ex facto ita omni repente morbo leuatus est, vt eodem ipso die conualuerit.

Michael Amat peste correptus omni morbo liberatus.

Hoc aliquanto recentius est. Nam anno millesimo quingentesimo nonagesimo sexto pia quædam mulier Anna Beneta vocata Barcinone honestis parentibus orta, ipso Epiphaniæ Festo copioso sanguinis profluuio in summum vitæ periculum adducta erat, neq; adhibita medicorum remedia sanguinem vllo modo sistere poterant, neq; ipsa in proximum diem victura putabatur. Quare eorundẽ hor-

Anna Beneta sanguinis profluuio laborãs puluere ex Beati Raymũdi sepulchro adhibito vitæ discrimen euitauit.

tatu

ratu cum Sanctissimæ Eucharistiæ, atq; extremę vnctionis Sacramēta, piè, & deuotè sumpsisset, mortem expectabat. Interim in Beati Raymundi præsidium toto animo confugit, ac pulueres ex eius sepulchro ad se deferri, atq; in cyatho misceri sibi iussit, quibus epotis melius se habere cœpit, & absq; vllo prorsus alio pharmaco vitæ discrimen euitauit.

Ex eius sepulchro terra quædā tenuis enascitur qua infirmitates curantur.

Illud verò perpetui cuiusdam miraculi vim obtinet, quòd ex primo eius sepulchro terra quædā tenuis, seu puluis saluberrimus enascitur, qui licet magna in copia indè exportetur, nunquam tamē deficit, ac multæ, magnæq; corporis infirmitates eo curantur.

Leuit. 8.

Ludouicus de Claramūt odoratus sensū recuperauit.

Anno itidem millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, cum Iudices constituti ad explorandas Beati huius viri reliquias, arcam, vbi erant reconditæ, aperuissent, tantus illicò odor ex eius corpore, qui viuens in odorem suauitatis Deo se cōsecrarat, exhalauit, vt multi, qui cò cōfluxerant, nihil eo percipi posse iucundius affirmarēt; quinimmò egregius vir Ludouicus de Claramunt ex graui morbo sēsu odoratus à sexdecim annis orbatus, cum in ea hominū multitudine vidēdi desiderio incitatus propius accessisset, eum etiam, odorem suauissimum sensit, quo repēte ita recreatus est, vt lachrymas præ gaudio continere, nec vllam vocem emittere vllo modo posset: verum tacitus apud se cogitans dubitabat, num istius solummodo odoris olfactum recuperasset, an etiam rerū aliarum, sed domum reuersus vbi se varios odores percipere animaduertit, miraculum subito euulgauit, Neq; verò hæc odoris fragrantia eo solum tempore ex eius corpore emanauit, sed ex aperto quodam eius sepulchri meatu idem suauis odor quandoq; afflatur, qui ab ijs sentitur, quos diuina bonitas eo munere dignatur.

Ex eius sepulchri meatu suauis odor afflatur.

Prou. 21.

Reges, Episcopi, & populi Arago. à Rom. Pont. frequenter petierunt vt B. Raymūdus in Sanctorum numerum referretur.

Archiepisc. Tarraconen. Episc. & Abb. in Cōc. Prouinc. Tarrac. cōgregati idem à Nicolao iij. petierunt.

His, pluribusq; alijs miraculis, quæ referre longum esset, corda Regum inclinata, plurimiq; Ecclesiarum Antistites, & Prælati, populiq; integri Regni Aragoniæ diuinitus excitati, vna voce, & consēsu à multis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris frequenter petierunt, vt Beatus Raymundus in Sāctorum numerum referretur; Et quidem quarto ab eius obitu anno salutis, videlicet, humanæ, millesimo ducētesimo septuagesimo nono Archiepiscopus Tarraconensis, ac decem Episcopi Regni Aragoniæ, multiq; Abbates in Concilio Prouinciali Tarracone congregati literas ad fel. rec. Nicolaum Papam III. prædecessorem nostrum dederunt, quibus singularem eius in Deum charitatem, vitæq; innocentiam coram Deo, & hominibus testificati, vt eum præuia virtutum, ac miraculorū eius inspectione, Sanctorum numero adscribere vellet, humiliter supplicarunt.

Præfecti Ciu. Regni Arag. & Principatus Cathaloniæ, Ciuitas Barchiconen. et Fratres Ord. Præd. idē à Bonifacio viij. postularunt.

Concil. Prouinciale Tarraconen. à Ioan. XXII. & Petrus Aragoniæ Rex à Clemente VI. idem petierunt.

Cū aūt ipse Nicolaus III. prędecessor è vita migrasset, Præfecti Ciuitatū Regni Aragonię, & Principatus Cathaloniæ, totaq; Ciuitas Barcinonē. quin & Priores, cæteriq; Fratres Ordinis Prædicatorū, qui eas Prouincias incolebant, idē à fel. rec. Bonifacio VIII. etiā prædecessore nostro enixè flagitarūt; verum ipso Bonifacio prædecessore ab humanis etiam erepto Concilium Prouinciale Tarracone denuò conuocatum, apud sanctæ mem. Ioannem XXII. prædecessorem etiam nostrum primam petitionem renouauit, quo tempore Frater Arnaldus Burguetus Ordinis Prædicatorum Inquisitor, ac Procurator à Capitulo Generali ad hanc causam prosequendam institutus, multos testes super miraculis, quæ de hoc Beato viro vulgabantur, examinari curauit. Sed cum per dicti Ioannis prædecessoris obitum res transigi non potuisset, cla. me. Petrus Aragoniæ Rex datis ad fel. rec. Clementem VI. similiter prædecessorem nostrum litteris, vehementer institit, vt Beatus hic vir humanis laudibus extolleretur in terris, quem diuinæ prouidētiæ sublimitas, quemadmodum in eius litteris habebatur, honorare voluerat in excelsis.

Paulus PP. iij. cōcessit vt in oībus Ecclesijs Ord. Præd. Regni Arago. solēne officium de B. Raymundo celebrari posset.

Cum verò huius rei tanta sit grauitas, & magnitudo, vt exiguo tempore perfici nō potuerit, omnis huius causæ tractatio vsq; ad tempora Sanctę mem. Pauli III. similiter prædecessoris nostri fuit intermissa, qui tandem precibus bo. me. Fratris Ioannis à Toleto tituli Sancti Sixti Cardinalis Burgen. nūcupati inclinatus cōcessit, vt in omnibus Monasterijs, & Ecclesijs, Ordinis Prędicatorū in Regno Aragonię existentibus solemne officium de Beato Raymundo celebrari posset. Interiecto autem diuturni temporis interuallo, cum Deus, qui est gloria virtutis Sanctorum, Beati Raymundi meritis, & intercessione plurima in dies beneficia toti Hispaniæ largiretur; cla. etiam mem. Philippus II. Hispaniarū Rex Catholicus per literas, & per dilectum filium nobilem virū Antonium de Corduba, & Cardona Suessæ Ducem, suum apud nos, & Sedem Apostolicam oratorem supplicauit, vt huic causæ sub tot Romanis Pontificibus inchoatæ ipsi vellemus finē imponere, quo sanè pio Regis studio vehementer sumus recreati. Nam cum ab ipso Pontificatus nostri principio nihil magis, quàm Dei gloriam, & Catholicæ religionis exaltationē spectauerimus, gaudebamus in Domino, cum vtramque hisce Regis supplicationibus promoueri cerneremus. Itaq; vt religioso eius desiderio satisfaceremus, Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis Sacrorum rituum iniunximus, vt acta omnia, quæ prius hac in re confecta erant, diligenter inspicerent, & examinarent; Hi autem fuere ex triplici ordine

Psal. 88.

Philippus II. Hispan. Rex Cath. supplicauit Sanctitati Suæ vt huic causæ finē vellet imponere.

Sanctitas Sua Cardd. Congreg. sacrorum rituum iniunxit, vt huius causæ acta oīa diligenter inspicerent, & examinarent.

assumpti

assumpti, Venerabiles Fratres Episcopi Alphonsus Ostien. Gesualdus, Inicus Aualos Portuen. de Aragona, Gabriel Sabinen. Paleottus, & dilecti filij nostri Alexander Sãctæ Mariæ Transtyberim Medices, Franciscus Sancti Petri ad Vincula de Gioiosa, Augustinus Sancti Marci Veronen. Dominicus Sancti Chrysogoni Pinellus, Franciscus Maria Sanctæ Mariæ in Ara cœli de Monte, Ascanius Sanctæ Pudentianæ titulorum Presbyteri Columna, Odoardus Sancti Eustachij Farnesius, Antonius Sãctorum Quatuor Coronatorum, Facchenettus Diaconi nuncupati S.R.E. Cardinales; coram quibus ritè congregatis cum dilectus filius Michael Llot, Sacræ Theologiæ Doctor Frater eiusdem Ordinis Prædicatorum professus, ac Procurator legitimè hac in causa constitutus, pro suo munere, in quod per sex annos continuos diligenter incubuit, quasdam scripturas ad hanc ipsam causam spectantes protulisset; quia tamẽ multæ probationes addi poterant, Litteræ ad Archiepiscopum Tarraconensem, atq; ad Barcinonen. & Vicen. Episcopos cum opportuna facultate missæ sunt, vt alias omnes scripturas, & probationes annis superioribus hoc in negotio factas Barcinone extraherent, & ea deniq; agerent, quæ ad hanc causam requiri videbantur, omniaq; ad nos transmitterent, quę cum essent omni iure confecta, summaq; auctoritate firmata, & debita cum diligentia, & fide transmissa, Nos tribus viris, doctrina, & integritate præstantibus, ac vsu peritissimis, Seraphino, videlicet Oliuario Razzalio Decano, Petro Frãcisco Gipsio, & Francisco Peniæ causarum Palatij nostri Auditoribus commisimus, vt ea summo studio, quantaq; possẽt diligentia legerent, expenderent, ac totius causæ merita exactissimè ponderarent. Quo in munere cum sedulò, & accuratè versarentur, Philippus II. Hispaniarum Rex Catholicus, cuius memoria in benedictione sit, magno in primis nostro, & totius Orbis Christiani dolore, ac detrimento viam vniuersæ terræ ingressus est. Quare charissimus in Christo filius noster Philippus III. Hispaniarum itẽ Rex Catholicus eius filius non modo regnorum, verumetiam paternarum virtutum hæres statim à primo regni sui exordio, vt se, suaq; omnia in Beati Raymundi præsidium, ac patrocinium conferret, litteris, & per eundem Antonium Suessæ Ducem oratorem item suum nobis supplicauit, vt in hac causa progredi vellemus. Idcirco vehementer lætabamur, & benedicebamus Domino, qui pios Reges perpetuo suscitat, ad sanctos suos honoribus prosequendos, quos elegit in ædificationẽ Corporis Christi, quod est Ecclesia.

Frater Michael Llot procurator ĩ hac causa constitutus scripturas quasdã ad hanc cãm spectãtes pduxit

Sanctitas Sua scripturas & pbationes oẽs ad hanc cãm spectantes tribus præstãtiss. Rotæ Auditoribus videndas & examinãdas commisit.

Ecclesiast. 46.

3. Reg. 2.

Philippus III. Hisp. Rex Cathol. à primo Regni sui exordio Sãctitati suæ supplicauit vt in hac causa progredi vellet.

Ephes. 4. Coloss. 1.

Cum igitur prædicti Auditores in discutiendis actis, ac vniuerso processu diuturnam, & assiduam nauassent operam, nihilq; eorum, quæ ad hanc rem peragendam pertinent, prætermisissent, omnem rei gestæ seriem, suumq; iudicium scripto nobis tradiderũt, quorum integram relationem nos eisdem Cardinalibus Cõgregationis sacrorum rituum per eosdem Auditores tradi iussimus, atq; vt plurium iudicio tota hæc causa examinaretur, alios etiam Cardinales prioribus adiũximus, nimirum dilectos filios nostros Federicum Sanctæ Mariæ Angelorum in Thermis Borromæum, Antonium Mariam Sãctæ Agnetis in Agone Gallum, Cæsarem SS. Nerei, & Archillei Baronium, Syluium Sancti Saluatoris in Lauro titulorum Presbyteros Antonianum, atq; Andream Sancti Angeli in foro Piscium Perettum Diaconũ S.R.E. Cardinales, quos omnes monuimus, vt acta omnia de Beati Raymũdi puritate fidei, morum integritate, ac miraculorum euidentia, tanto studio perpenderent, quantum, & rei grauitas requirebat, & nos meritò expectabamus, qui cũ priuatim, multisq; Congregationibus inter se habitis, dilecto filio Põpeo Molella Fisci nostri procuratore semper citato, & partes suas diligẽter præstante, singula rerum capita, & acta omnia sedulò examinassent, ac processum, testes, instrumenta, & huius causæ momenta cum Auditorum sententijs diligẽter cõtulissent, eoq; adducta essent omnia, vt ad Nos referri oporteret, Nos Consistorium secretum pro more conuocari iussimus, in quo præfatus Alphõsus Cardinalis Gesualdus, suo, & totius Cõgregationis nomine, primùm retulit scripturas, processum, omniaq; huius causę acta legitimè confecta esse, ac maximè auctoritatis, probatæq; veritatis vim obtinere; deinde tota Beati Raymundi vita, multisq; miraculis enarratis, se, & cæteros dictæ Congregationis Cardinales vna voce, vnaq; mente in eam sententiam venisse dixit, Beatum Raymundum (si ita nobis videretur) posse Catalogo Sãctorum aggregari; in quorum sententiam cum reliqui Cardinales suo quisq; suffragio ex ordine iuissẽt, magnam animi voluptatem capiebamus, quòd Beati huius viri sanctitatem in dies magis elucere videremus. Atq; vt in hoc grauissimo negotio, nihil de pristina nostra consuetudine, ac debita diligentia remitteremus, nos ipsi acta studiosè, & accuratè perlegimus, atq; eorundem Rotę Auditorum, & Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium relationem verissimam esse comperimus.

Auditores Rotæ oẽm rei gestæ seriẽ suũq. Iudiciũ S. Suæ scripto tradiderũt, quæ illorũ relationẽ Cardd Sacrorum rituum per eosdẽ Auditores tradi iussit.

Consistorium secretũ in quo Card. Gesualdus facta relatione processus & causæ dixit sibi, & toti Congregationi videri B. Raymun. posse Cathalogo Sanctorum aggregari.

Quare lapsis paucis post diebus ex Romanorum Põtificum prædecessorum nostrorum instituto Cõsistorium publicũ indiximus, in quo præter Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Prælati, nostriq; familiares nobis adfuerunt, ac in eo dilectus filius Bernardinus Scottus Consistorialis Aulæ nostræ Aduocatus, eximia Beati Raymundi charitate, vitæ innocẽtia, & miraculis copiosa oratione explicatis, Charissimi in Christo filij nostri Rodulphi Romanorum Regis Illustris in Imperatorem electi, &

Cõsistorium publicũ in quo Bernardinus Scottus habuit Orationem de vita Beati Raymundi.

eiusdem

eiuſdem Philippi III. Regis Hiſpaniarum Catholici, & Principatus Cataloniæ, totiuſq; Ordinis Prædicatorum nomine, vt Beatum Raymundum Sanctis adiungere vellemus, à nobis ſuppliciter flagitauit. Quæ cũ audiremus, benedicebamus Domino, & gratias Deo agentes lætabamur pręcipuè Philippum III. Regẽ Catholicũ in ipſo regnandi principio hũc ſibi ad felicem regnorum ſuorũ adminiſtrationem patronum tanto ardore poſtulare. Itaq; reſpondimus ſanctã eius petitionem nobis eſſe gratiſsimam, & eam ad Dei gloriam in primis, & communem totius Chriſtianæ Reipublicæ vtilitatem pertinere, quòd nimirum Deus, qui ſplendor, & gloria Sanctorum eſt, in Sanctis ſuis magis laudatur, & Chriſtifideles eò facilius diuinæ gratiæ munera, auctis interceſſoribus obtinent, quò maior cultus, & honor Sanctis adhibetur. Præterea ſingularem Regis pietatem commẽdantes, optare nos pio eius deſiderio ſatisfacere diximus; huius tamen rei tantam eſſe grauitatem, vt maturius adhuc cum Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, & cæteris Epiſcopis deliberandum eſſe cenſeremus. Itaq; omnes eos in Domino hortati ſumus, vt omnia, quæ ad Beati Raymundi vitam, & miracula ſpectarent, omni ſtudio, & diligentia examinarent; deinde orantes in ſpiritu, & in ipſo vigilantes (quod nos facturi eramus, Deum precarentur, vt daret nobis ſpiritum ſapientiæ, & reuelationis, quo hæc arcana cæleſtia, quæ ratione humana cõprehẽdi non poſſunt, cognoſceremus, & illuminaret oculos cordis noſtri, vt quid in hac grauiſsima cauſa ſtatuendum eſſet, deliberare poſſemus.

Reſponſio Sanctitatis ſuæ ad orationẽ Bernardini Scotti.

Epheſ. 6.

Epheſ. 1.

His peractis ſecretum aliud Cõſiſtorium indiximus, cui etiam Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, qui tunc erant in Vrbe, ac noſtros, & Sedis Apoſtolicæ Notarios, necnon Palatij noſtri Auditores, & Secretarios voluimus intereſſe, in quo Nos ex gratię cæleſtis abundantia, qua noſtra tenuitas in hac ſuprema Paſtorali vigilia, domus Dei, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis conſtituta eſt, ea diximus, quæ ad hanc cauſam ſpectare nobis viſa ſunt; Deinde ab iiſdẽ Fratribus noſtris petiuimus, vt conſideratis, atq; examinatis omnibus actis, id præciſè dicerent, quod Spiritus ſanctus eis daret eloqui, & an Beatus Raymundus Sãctis adſcribendus eſſe videretur. Itaq; primum S. R. E. Cardinales, deinde Patriarchæ, tum Archiepiſcopi, & Epiſcopi ibidem præſentes, ſuo quiſq; loco dictis ſententijs, omnes cõmuni conſenſu ex ijs, quæ in vniuerſo proceſſu explorata erãt, merito à Nobis Beatum Raymundum inter Sanctos referendum eſſe cenſuerunt. Gratias igitur Deo agebamus, qui Fratres noſtros omnes in vnitate ſpiritus idem ſentire facit, tribuens omnibus cor vnũ & animam vnam, eoſq; monuimus, vt interim precibus, ieiunijs, & eleemoſynis, Dei gratiam, & auxilium nobiſcum inuocarent.

Secretum aliud Conſiſtorium.

Luc. 12.

1. Timot. 3.

Act. 2.

Act. 4.

Cumq; omnia iam ad pręſcriptum, & normam Sacrorum Canonum confecta eſsent, quod ſuperecrat acturi, poſt aliquot menſes diem Canonizationis diximus Tertium Kal. Maij, Dominicam videlicet in Albis, qua Paſchalis ſolemnitas terminatur, Neophytorum habitus candore animi permanente commutatur, & Euangelium in Eccleſia legitur, quo Chriſtus Dominus poſt reſurrectionẽ ad diſcipulos ianuis clauſis ingreſsus, inſufflato eis Spiritu ſancto, poteſtatem remittendi, & retinendi peccata eſt elargitus, in quo magna nobis lętitię materia oblata eſt, quia videlicet memineramus Beatum Raymundum, & Sacramenti pœnitentiæ miniſtrum extitiſse, & poſt traiectionis miraculum ianuis clauſis Monaſterium ſui Ordinis Barcinone ingreſsum eſse, deinde etiam, quòd eodem ſolemnitatis, & lætitiæ die Nos ab hinc ſeptem annis Sanctum Hyacinthum Polonum eiuſdem Ordinis Fratrum Prædicatorum Beati Raymundi coœtaneum in Sanctos retulimus, ad quam quidem animi noſtri voluptatem non mediocris acceſſio facta eſt, quòd hoc ipſo die Sanctę Catherinę Senenſis, ac Sãcti Petri Martyris Feſtum in Eccleſia ſolemniter celebretur, qui ſub eadem Sancti Dominici diſciplina vitam ſanctiſsimè traduxerunt. Quamobrem in tam accommodata totius Eccleſiæ, ac Sanctorum eiuſdem Ordinis ad hanc celeberrimam actionem feſtiuitate, Nos Beato Raymundo eum honorem decernere ſtatuimus, qui Sanctis Confeſsoribus adhibetur.

Dies Canonizationis à Sanctitate ſua indictus.

Cum igitur pręſcripta Dominica in Albis hodierna ſcilicet dies aduenißet, Nos cum Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, qui in Capella noſtra Pontificia hanc ob cauſam conuenerant, veſtibus ſacris induti, hymnum Aue maris ſtella inchoauimus, reliquum Capellæ noſtræ choro proſequente, ad Beatæ Mariæ Virginis opem implorandam, atq; ita cantantes in vijs Domini, Romanæ Curiæ Prælatis, Officialibus, & familiaribus Noſtris, & ſeculari, ac religioſo clero longo ordine pręcedentibus, ſingulis cereos accenſos geſtantibus, ex noſtro Palatio Apoſtolico ad auguſtiſsimam Principis Apoſtolorum Baſilicam proceſſimus vario ornamentorum genere inſtructam, eamq; ingreſsi ad Sanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramẽtum genuflexi procubuimus, orantes, vt Deus hanc celeberrimam actionem ad laudem, & gloriam nominis ſui dirigeret. Inde ad ſupremam Eccleſiæ partem aſcendimus alto, & ſublimi fornice admirandam, vbi amplum,

S. Sanctitas ex Capella Pontificia proceſsionaliter in Baſilicam Sancti Petri deſcendit.

Pſ. 137.

plum, regioq; sumptu suggestum erectum erat coram altari Sancti Petri Principis Apostolorum, in quo sacram Pontificalem Missam celebraturi eramus, omniaq; facibus, cereisq; ardentibus collucebant; ac plurimæ circum imagines Beatum Raymundum erecto corpore egregiè pictum referebant, dextera manu clauem in potestatis, atq; officij Pœnitentiarij memoriam, sinistra librum doctrinæ, ac Decretalium monumentum gerentem, vbi statim nobis in mentem venit nos ijsdem, quibus Beatus Raymundus, Capellani videlicet, seu Causarum Palatij Apostolici Auditoris munere, antequam in numerum Cardinalium assumeremur, & in ipsa Cardinalis dignitate summi Pœnitentiarij officio, quanquam non exactè, ac perfectè functos fuisse, ac propterea Deum in spiritu humilitatis non sine lachrymis precabamur, vt si quid istis in muneribus ex nostra imbecillitate à nobis omissum, vel commissum fuisset, id eius bonitas, atq; clementia Beati Raymundi meritis, atq; intercessione nobis condonaret. Deinde in suggestum delati antè idem altare Principis Apostolorum orauimus, vt suo nobis auxilio, præsidioq; adesset: mox in excelso è regione altaris throno confidentes eosdem Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos sacris indutos vestibus obedientiam nobis de more præstantes excepimus; tum dilectus filius noster Odoardus Sancti Eustachij Cardinalis Farnesius nuncupatus, Regni Aragoniæ Protector, Catholici Regis nomine, semel, iterum, ac tertiò suppliciter à nobis flagitauit, vt Beatum Raymundum in Sanctos referremus, cuius singulis petitionibus opportunè respondimus, ac per interiecta totidem interualla, litanias, hymnos, precesq; adiunximus.

Deinde ascendit ad eam Ecclesiæ partem in qua amplum suggestum paratum erat.

Mox Cardinales, & Episcopos obedientiã præstantes excepit. Cardinalis Farnesius Regis Catholici nomine ter supplicauit, vt B. Raymundus inter Sanctos referretur.

Sanctitas Sua eius petitionibus respondit, et litanias, hymnos, precesq; adiunxit.

Denique absolutis, perfectisq; omnibus ijs, quæ à Romanis Pontificibus hoc in genere instituta sunt, communibus precibus implorata Spiritus sancti ope, ad honorem Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, ad exaltationem fidei Catholicæ, & religionis christianæ augmentum, auctoritate eiusdem Sanctæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra, de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium, omniumq; Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Romana curia existẽtium consilio, communiq; consensu Beatum Raymundum à Peniafort Ordinem Fratrum Prædicatorum expressè professum, ac in Ecclesia Sãctæ Catharinæ eiusdem Ordinis Barcinone sepultum, de cuius innocentia vitæ, & miraculis nobis planè constat, Sanctum esse definiuimus, ac Sanctorum Confessorum numero, & Catalogo adscribendum esse decreuimus, prout per præsentes definimus, decernimus, & adscribimus, statuentes, vt ab vniuersa Ecclesia quolibet anno, die septima Ianuarij Festum eius, & Officium, sicut pro vno Confessore non Pontifice ad normam in Rubricis Breuiarij Romani præscriptam deuotè celebretur. Insuper omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui singulis annis eodem die prædictam Ecclesiam Sanctæ Catharinæ Barcinonẽsis, in qua corpus eius conditum est, piè, & deuotè visitauerint, easdem Indulgentias, & peccatorum remissiones concessimus, & elargiti sumus, quemadmodum concedimus, & elargimur, quæ cæteris dicti Ordinis Monasterijs, & Ecclesijs diebus Festis Sanctorum eiusdem Ordinis concessæ sunt.

Tandem Sãctitas Sua sententiam Canonizationis protulit, & B. Raymundum Sanctũ esse definiuit.

Statuit etiam, vt ab vniuersali Ecclesia festum eius celebretur.

Itaque omnibus, quæ ad Beati Raymundi canonizationem spectabant, ritè peractis, atq; hymno ad Dei laudem, & gratiarum actionem decantato, diuinaq; ope Sancti Raymundi meritis, peculiari in eius honorem oratione, quam nos ipsi fecimus, & clara voce recitauimus, inuocata, Nos in eodem loco, & altari Principis Apostolorum Missam solemnem de octaua Dominicæ Resurrectionis, cum eiusdem Beati Raymundi commemoratione celebrauimus, omnibusq; Christifidelibus, qui & canonizationi, & Missæ interfuerunt, ad Dei laudem, & Sancti sui gloriam, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam concessimus. Quarè Deum mirabilem in Sanctis suis benedicamus, & gratias immortales ei agamus, quia suscepimus misericordiam in medio templi eius, nouum videlicet in Ecclesia intercessorem cuius meritis, ac suffragijs in omnibus animæ, corporisq; periculis adiuuemur. Ac singulari planè diuinæ prouidentiæ munere factum est, vt hisce difficillimis temporibus, quibus religio Catholica inimicorum telis assiduè impugnatur, hunc patronum, & aduocatum, vniuersi Christifideles consecuti sint ad Ecclesiæ pacem in primis, & tranquillitatem, ad optatam Principibus Christianis concordiam, ac hæreticis in errorum tenebris à via salutis errantibus lucem veritatis impetrandam. Cæterum, quia nimis difficile foret præsentes nostras litteras ad singula quæq; loca deferri, volumus, vt earum transumptis etiam impressis manu publici notarij subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides vbiq; habeatur, quæ hisce præsentibus haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrorum definitionis, decreti, adscriptionis, statuti, concessionis, elargitionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem

Missam solemnem ibidem celebrauit, et omnibus præsentibus plenariã Indulgentiam concessit.

Psal. 67.


Psal. 47.

Decretum, quod fides habeatur præsentium transumptis.

Pœna in eos, qui cõtra præsentes has literas aliquid attentarint.

tionem Omnipotentis Dei, ac Sanctorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo sexcentesimoprimo, Tertio Kal. Maij, Pontificatus Nostri Anno Decimo.

✠ Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.



✠

✠ Ego Ptolomæus Episcopus Portueñ Card. Comeñ.

✠ Iul. Antonius Episcopus Prænestinus, Card. S. Seuerinæ.

✠ Hieronymus Episcopus Sabineñ Card. Rusticucius.

✠

✠ Alex. Episcopus Albaneñ Card. de Florentia.

✠ Ego Ant. Maria tt. S. Mariæ Transtiberim Presbyter Card. Saluiatus.

✠ Ego Aug. tt. S. Marci Presbyter Card. Veronensis.

✠ Ego Simeon tt. Sancti Laurentij in Lucina Presbyter Card. de Terra noua.

✠ Ego Dominicus tt. Sancti Chrysogoni Presbyter Card. Pinellus.

✠ Ego Fr. Hieronymus tt. S. Mariæ super Mineruam Presbyter Card. Asculanus.

✠

✠

✠ Ego Antonius tt. S. Stephani in Monte Celio Presbyter Card. Saulius.

✠

✠

✠

✠ Ego Fr. Gregorius tt. Sancti Augustini Card. de Mont'Elpero.

✠ Ego Paulus tt. Sanctæ Ceciliæ Presbyter Card. Sfrondatus.

✠ Ego Benedictus tt. Sanctæ Priscæ Presbyter Card. Iustinianus.

✠ Ego Franciscus Maria tt. S. Mariæ in Aracœli Presbyter Card. à Monte.

✠ Ego Octauius tt. Sancti Alexij Presbyter Card. Parauicinus.

✠ Ego Hieronymus tt. Sancti Pancratij Presbyter Card. Matthæius.

✠ Ego Octauius tt. Sanctæ Mariæ de Populo Presbyter Card. de Acquauiua.

✠ Ego Flaminius tt. S. Mariæ de Pace Presbyter Card. Platus.

✠

✠ Ego Lutius tt. SS. Quirici, & Iulitæ Presbyter Card. Saxus.

✠ Ego Franciscus Maria tt. S. Bartholomæi in Insula Presbyter Card. de Senis.

✠

✠

✠

✠ Ego Camillus tt. SS. Io. & Pauli Presbyter Card. Burghesius.

✠ Ego Cæsar tt. SS. mart. Nerei, & Achilei Presbyter Card. Baronius S. R. E. Bibliothecarius.

✠ Ego Laurentius tt. S. Laurentij in Pane, & Perna, Presbyter Card. Blanchettus.

✠ Ego Franciscus tt. Sanctæ Crucis in Hierusalem Presbyter Card. Auila.

✠
✠ Ego Franciscus tt. S. Thomæ in Parione Presbyter Card. Mantica.
✠ Ego Pompeius tt. S. Balbinæ Presbyter Card. Arrigonus.
✠
✠
✠
✠ Ego Dominicus tt. Sancti Petri in Monte Aureo Presbyter Card. Tuſcus.
✠ Ego Arnaldus tt. Sancti Euſebij Presbyter Card. Oſattus.
✠ Ego Paulus A Emilius Presbyter Cardinalis Sancti Marcelli.
✠
✠ Ego Siluius tt. Sancti Saluatoris in Lauro Presbyter Card. Antonianus.
✠ Ego Robertus tt. Sanctæ Mariæ in Via Presbyter Card. Bellarminius.
✠ Ego Bonuiſus tt. Sancti Blaſij de Annulo, Presbyter Card. Bonuiſius.
✠
✠
✠ Ego F. Diac. Card. Sfortia S. Mariæ in Via Lata.
✠
✠
✠
✠
✠ Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Diac. Card. Aldobrandinus, S.R.E. Camerarius.
✠ Ego Cinthius Diaconus Card. S. Georgij.
✠ Ego Bartholomæus Sanctæ Mariæ in Porticu Diac. Card. Cæſius.
✠
✠
✠ Ego Io. Baptiſta Sanctæ Mariæ in Coſmedin. Diac. Card. Detus.

M. Veſtrius Barbianus.

A. de Alexijs.

Regiſtrata apud Marcellum Secretarium.